

3

IN HISTORIAM
JOHANNIS VILLANI
FLORENTINI
P R A E F A T I O
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

Inter eos, qui Seculo Christianae Aerae Quarto-decimo ex Historiis conscriptis magnum sibi nomen quaesivere, procul dubio numerandus venit *Johannes Villanus*. Patria illi fuit praeclearissima Urbs Florentia: Familia si non veteri nobilitate conspicua, certe aliquo civilitatis splendore supra vulgus elata; nam ejus pater *Villanus* (ab hoc paterno nomine censet Scipio Admiratus filios suscepisse agnomen) Anno 1300. sub Taldo Tedaldo Vexillifero Justitiae Priorem Reipublicae egit, eoque munere postea illius filius *Johannes* donatus est Anno 1317 ut ipse testatum reliquit. Historias ergo non Tusciae tantum, sed & Europae totius scribere aggressus est Johannes noster; quae res maxime illius laborem commendat, eumque inter praecipuos Italiae Chronologos statuit. Sed illud minime dissimulandum, quandoquidem vel ipsi posteriores Florentini Scriptores liberaliter id antea monuerunt, Historicum hunc fabellas non paucas nobis tradidisse, quum Florentinae Civitatis originem, & tempora a se longe remota describit. Verum haec Seculi illius ineruditi genio & inscitiae facile sunt condonanda: nam quod attinet ad Secula, quae proxime illius aetatem contingunt, & potissimum ad Annos, quibus ille floruit, accurato certe studio, & non mediocri amore veritatis Villanus res in Italia praesertim gestas plerumque recensuit. Plerumque dico, nam quod est ad Friderici II. Imperatoris acta, aliosque illorum & sequentium temporum eventus, non illi semper fidendum est, & praecipue, quod factionibus tunc Italicis Urbes dividendis addictus esset & ipse, Guelpham nimis mirum sequutus. Idem vero auctor est Lib. 8. Cap. 26. se religionis causa Romam profectum Anno Jubilaei MCCC. atque inde regressum, ad conscribendam hanc Historiam se contulisse. Eam autem perduxit ad Annum usque 1348 nempe ad tempora illa, Italiae, immo universae Europae funestissima, quibus omnium faevissima pestilentia integras Urbes populata est, & praesertim Florentinam Civitatem exhaustit. Tunc e vivis sublatus est & ipse Historicus. Id enim adnotavit Matthaeus illius frater Cap. I. Lib. I. Historiae suae. Ceterum prudentiam suam, compositosque ad Pietatem, atque ad amorem Patriae mores ubique Historicus iste pandit; ac propterea non immerito, dum vixit, ad Reipublicae negotia adhibitus est, in quibus semper sagacem simul atque honestissimum Civem sese exhibuit.

Latuit deinde per ducentos fere annos *Johannis Villani* Chronicon, in MStis tantummodo Codicibus servatum, sed variis Scriptoribus, ac praecipue *Sozomeno Pistoriensi*, ut suo loco innuam, bene perspectum. Venetiis tandem ejus editio primum procurata est per *Jacobum Fasolum* Anno 1537. in folio. Verum quia posteriores duo Libri in ea desiderati sunt, atque in illam multi errores irreperant, & corrupta nimis rerum ac hominum nomina occurrebant: alteram editionem in eadem Urbe faciendam curavit Anno 1559. *Philippus* & *Jacobus Juncti* Cives Florentini, commendandam sane, quippe ad MStos Codices, ut ipsi proficerentur, exactam, & *Remigii Nannini* Civis Florentini notulis quibusdam ornata. Alteram denique editionem Florentiae instituerunt iidem Juncti Anno 1587. Magna etiam commendatio accessit Villani nostri Historiis a praeclearis iis Florentiae Civibus, qui Italicam seu Tuscam vulgarem Linguam Vocabulario suo illustrarunt: hunc enim Historicum inter praecipuos ejusdem Linguae Patres multa cum laude commemorarunt. Equidem norunt Eruditi, *Alexandrum Tassonum*, celebrem inter Mutinenses Poetas atque Eruditos Virum, in Libro, cui titulus *Pensieri diversi*, Lib. IX. Quaef. XV. Prooemium Historiae Villani ipsius ac i censura vellicasse, ut evinceret, non ad eum perfectionis apicem tunc Linguam nostram ascendisse, qualem post Annum 1500. consequuta est. Me in ea quoque sententia esse, alibi non solum signi-